praeter ipsa agnoscit, totum hoc quantumcunq
est, quod certe maximum est, totum est inquam Alexan-
dri. Nihil sibi ex ista laude milites, nihil fortu-
na, nihil felicitas rapit, sed totam Alexandri
virtus ac fortitudo sibi vendicat. Vere igitur
Hannibal Romanorum fulmen primo loco inter
belli Duces Alexandrum Magnum, secundo Pyrrhum,
tertio se ipsum collocandum esse asseveravit. Nec
Miramini Auditores, Primus r. et secundus, quoque
ve tertio sententiis teste Plutarcho Rusij exti-
terunt. De Potentissimis Imperatoribus,
qui hoc heroico valore fuerunt illustrati, quid
dicendum existimatis? Veniat vobis in Mentem
Vnus instar Omnium Carolus Quintus Germa-
niae Splendor, Hispaniae Sol, totius Orbis
miraculum, qui quippe arma capturus instar
meticulosi leporis trepidabat; in arena tamen
~~congressus~~ cum hoste congressus, non modo valore,
sed et fortitudine invictum rugientemque leonem
ostendit. Videre mihi videor quam terribi-
liter aciem instruxerit, quam fortis ad manus
cum Adversarijs venerit, quam invictus hostibus
insultaverit. Vtinam adessent, qui hunc Ad-
mirandam illam Magnificentiam, atque Maiestatem

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20153r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20153r)